

Summa proba-
additio-
nis per 9.

Post absolutam additionem solent Arithmetici eam examinare, sicut & alias operationes, quæ sequuntur, num rectè facta sit, an non. Quod quatuor modis fieri potest in additione. Primum per abiectiorem nouenarij, hoc pacto. Reijciantur 9. ex omnibus numeris addendis, quoties fieri potest, & quod reliquum est, ponatur seorsum. Deinde ex summa collecta reijciantur quoque 9. quoties fieri potest, & quod reliquum est, notetur. Si enim hoc illi priori, quod reliquum fuit, æquale est, rectè instituta fuit additio: Si vero inæquale, non rectè. Vnde iteranda erit additio, vt error corrigatur. Ita vides in superiori exemplo relictum fuisse numerum 8. post abiectiorem numeri 9. tam ex omnibus numeris addendis, quàm ex summa collecta, qui numerus 8. collocatus est in cruce quadam in hunc finem constructa.

Qua ratione
ex quouis
numero reij-
ciatur facile
9. quoties
fieri potest.

Mirabilis
proprietas
nouenarij.

Cæterum, vt facile abijciantur 9. satis est, vt figuræ numerorum, ac si omnes primum occuparent locum, inter se addantur, & cum primum summa fuerit 9. aut excesserit 9. ita vt duabus figuris scribatur, reijciantur 9. vel duæ illæ figuræ inter se addantur, & summa hæc cum sequenti figurâ addatur eodem modo, &c. Est enim mirabilis hæc proprietas nouenarij, vt si figuras cuiuscunque numeri inter se addas, & ex summa reijcias 9. vel certè, si summa hæc duabus figuris scribitur, duas has figuras in vnam summam colligas, tantundem relinquatur, vel componatur, quantum relinqueretur, si reijceres 9. toties ex toto numero, quoties potes. Vt si ex hoc numero

mero